



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Scipio Claromontius De Ratione Status**

**Chiaramonti, Scipione**

**[S.l.], 1679**

De aequitate, pro uberiori expositione justii proprii. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10064**

ficq; de cæteris putandum. Et quoniam in restitutione, circumstantia cui, ingreditur partem essentialiæ, ideo commutatis circa hanc conditionibus, ut si ex amico quis factus sit inimicus publicus, ex prudente vesanus, eam ob rem restitutio suspendenda est in tempus, & occasionem commodiorem. At quando factum, vel circumstantia quid est per se semperq; prava, ut furari, mœchari & similia, ejusmodi patrare actiones semper erit prava, qua etiam committantur circumstantia: nam actio, quæ unam nacta est circumstantiam pravam, & præsertim ex essentialibus, velut hæc est, (quid) semper prava est, quomodo & ubi peragatur. Unde provenit quod ad depositi restitutionem, fidei conservationem, patris venerationem, cultum dierum, professorum, alimentationem filii, non teneamur, nisi ubi necessitas exigat, & opportunitas, locus, cæteræq; circumstantiæ conspirent. Quare dicta Ciceronis secundo loco allata, non recte attingunt quæstionem motam.

*De Æquitate, uberioris expositionis justitiae  
propositi gratia.*

CAP. III.

**R** Eddeur clarior natura justitiae extraordinarii, de quo sermo hactenus fuit, si perpendetur modo legis transgressio, quæ fit nonnunquam cum laude, & tum æquitas vocatur, de qua Aristoteles 5. Ethicorum pertractat. D. Thomas sub græco nomine Epietichæ 2. 2. ego libro secundo de justitiâ. Exoritur illa, quoniam lex non potest complecti casus omnes speciales, quod infiniti sint: ideoq; etiam generatim effatur, tum quod exoriantur identidem casus non perspecti a legislatore. Exempli gratia sit lex ordinata, ut qui ferro civem percutiat, mortis reus sit, eo sine ut homicidia & vulnerationes e civitate tollantur. Jam vero accidit, ut duo ferro decertantes, alter eorum percutiat alterum annulo ferreo, quem loco aurei in digito gestat, huic casui non provisum est a legislatore, qui si vita frueretur, adessetq; præsens, non majorem statueret pœnam in illum, quam qualem in decertantes. Ut ita in paribus casibus inobservantia legis, quæ per se actio est injusta, justa fiat: estq; justum extraordinarium, communiter enim justum habetur leges observare. Lex erat apud Thebanos, ut militum duces per-

peracto officii demandati tempore, exercitum traderent sub poena mortis: at Epaminondas & Pelopidas ad Lacedæmoniorum regiones missi cum essent ideo, ut res magnas agerent in commodum patriæ Thebarum, retinuerunt exercitum, & pro patria acquisiverunt plurima. Hæc transgressio æqua erat. Nam si præsens fuisset legislator, & quæsitus, quid arbitraretur in tali occasione esse agendum in commodum publicum maximum, iussisset idem, quod fecerunt: uti quoque cum ideo illis dies dicta esset, tandem absoluti sunt, sprete civium invidia, qui ob gloriam rerum gestarum insurrexerant in eos.

*Rejicitur opinio eorum, qui iustum habent  
illud omne, quod statui utile est.*

## CAP. IV.

**E**terum quoniam plurimi, vel quod ita crediderint, vel in favorem magnatum locuti sint, axioma confecerunt contrarium: scilicet quod omne, quod statui utile, iustum sit, qualecunque etiam ex se existat, non ab re erit transire ad illorum dicta examinanda, & at confutandam sententiam. Axiomata itaque in obsequium Principum tradita huius generis sunt. *Omnia retinenda dominationis honesta esse.* (Salust. ex ore Lepidi.) Legimus apud Platonem (lib. I. de iusto.) Trasymachum dixisse, quod iustitia nihil aliud sit, quam *Utilitas potentioris.* Secundum hæc axiomata igitur, qualecunque etiam sit factum, dummodo utilitatem statui adferat, iustum est. Ad idem alludit illud Taciti: (lib. 14. annal.) *Magna exempla, quæ habent aliquid ex iniquo, quod adversus singulos utilitate publica rependitur.* Relictis iis pluribus, quæ dici possent, stabilio doctrinam primi capitis. Quando factum, hoc est illud, quod comprehensum est sub circumstantia (quid) iniustum est, actio reddi nequit iusta absolute, propter utile publicum. Dico iusta absolute, nam iusta secundum quid, quatenus comprehendit finem, ceterasque circumstantias iustas, verum est. Et conclusio probatur ex fundamento superius posito: quoniam fingitur, quod una ex circumstantiis præcipuis iniusta sit & prava, ut vero actio absolute bona sit, opus est ut omnes circumstantiæ sint bonæ. *Bonum est ex integra causa.* Idem confirmatur ex Aristotelis doctrina 7. politic. tradita: quod bonitas actionis consistat, ut finis